

præcipua capita sicut in reliquis virtutibus. Primo, explicat ipsam naturam fortitudinis, ejusque actum, et vitia opposita. Secundo, partes ejus. Tertio, donum ei correspondens. Quarto, præcepta illius.

Quod attinet ad naturam fortitudinis explicat illam, tam quoad subiectum, in quo est fortitudo, quam quoad objectum, seu materiam, circa quam versatur. Subiectum quidem est appetitus sensitivus irascibilis, quia licet actus electionis virtutis proprie, et directe sit a voluntate, quæ est potentia arbitrativa, et electiva, tamen quia electio non potest recte eligere quamdiu est impedita per passiones immoderatas, ideo requiritur principaliter virtus in appetitu sensitivo ad ordinandum passiones, ut disponatur recta electio voluntatis remoto impedimento. Et cum sit duplex appetitus, alter concupiscibilis, alter irascibilis, requiritur ad eliciendas passiones moderatas in concupiscibili temperantia, in irascibili fortitudo; prius tamen agitur de fortitudine, quia est nobilior, eo quod moderatur irascibilem, quæ tendit in arduum. Objectum autem ejus, seu materia mediata quidem, et remota sunt pericula, et labores, non quicumque, sed maximi, quia homo debet formare bonum rationis, et virtutis contra quæcumque pericula, ita ut pro nullo recedat a ratione. Unde maxime principaliter debet tendere contra maxima pericula, qui enim firmatur contra illa, facile firmatur contra minora, et ideo ille dicitur fortis simpliciter, qui maxima pericula contemnit, ut pericula bellica, et pericula mortis. Objectum autem, seu materia immediata circa quam tamquam circa passiones versatur fortitudo est timor, et audacia, quia pericula non retrahunt voluntatem nisi in

quantum timentur, et ideo oportet, quod fortitudo tollat hoc impedimentum timoris, quando est immoderatus et similiter debet reprimere nimiam audaciam, ne aggrediatur aliquis pericula ultra quam oportet. Et sic de natura fortitudinis, et de actu ejus in communi, agit quæstione cxxiii. De actu vero perfectissimo, qui est martyrium elicitive ortum a fortitudine, et imperative a charitate, et de his quæ ad martyrium requiruntur, vel consequuntur, agit quæstione cxxiv.

Explicata natura, et actu fortitudinis, agit de vitiis illi oppositis. Cum autem fortitudo versetur inter timores, et audacias, contingit peccare in fortitudinem, vel ex parte timoris vel ex parte audaciæ, et in utraque vel per excessum, vel per defectum. Ex parte timoris opponitur fortitudini immoderatus timor, quando aliquis etiam pro causa rationabili recusat se exponere periculis, et de isto timore agit quæstione cxxv. Per excessum autem opponitur impaviditas, quando aliquis etiam quando est rationalis causam timendi non timet, et de ista agit quæstione cxxvi. Similiter ex parte audaciæ opponitur fortitudini excessus vel ut defectus audaciæ. Ut enim dicit philosophus III ethicor. cap. VII: Audaces sunt prævolantes, et volantes ante pericula; sed in ipsis discedunt, unde per excessum est immoderata audacia, quando quis ante omne consilium prævolat, et sine ratione. Per defectum autem quando quis etiam post consilium non audet, neque habet executionem constantem. Et quia hoc communiter accidit ex timore, qui impedit audaciam, ideo non ponitur tamquam distinctum vitium a timore, licet probabile sit quod detur vitium peculiare oppositum audaciæ per defectum, quod vocatur vecordia, scilicet quando

quis non ex timore, sed ex defectu spei, quia non sperat se consecuturum non audet, licet non timeat, et sic de audacia, agit quæstione cxxvii.

Secundo, sequitur agere de partibus fortitudinis, de quibus prius agit in communi, deinde in speciali. In communi distinguit D. Thomas illa tria genera partium, scilicet partes subjectivas, integrales, et potentiales. De subjectivis nihil agit, quia caret illis fortitudo propter limitationem materiæ, circa quam versatur, scilicet circa maxima pericula, qualia sunt pericula mortis, et ideo quia maxima pericula sunt, non admittit divisionem in diversas species. Partes autem integrales distinguit D. Thomas in fortitudine secundum illos duos actus, qui sunt aggredi, et sustinere, circa quos dantur quatuor virtutes, quæ firmant animum in aggrediendo, et sustinendo; quia in aggrediendo res arduas, quæ solum pertinent ad fortitudinem, attenditur quoad executionem rerum magnarum magnificentia, quoad operandum vero, et non diffidendo de victoria, magnanimitas, quæ amplificat animum ad fiduciam vincendi. In sustinendo vero etiam firmatur animus quoad duo, scilicet quantum ad magnitudinem mali per patientiam, quantum ad diurnitatem vero, et continuationem per perseverantiam: quæ duo sunt in concupiscibili, quia moderantur tristitias; sed tamen dicuntur integrales fortitudinis, quæ est in irascibili, quia irascibilis oritur ex concupiscibili, et sic redundant illæ in irascibilem. Partes vero potentiales fortitudinis sunt istæmet quatuor virtutes, quando versantur circa materiam distinctam ab ipsa principali materia fortitudinis, ita quod circa pericula mortis, et pericula maxima, sive aggredienda sive sustinenda,

istæ virtutes habent vim partium integralium. Circa aliam materiam v. g. circa sumptus, vel honores, vel mala fortunæ, etc. virtutes quæ versantur, dicuntur partes potentiales fortitudinis, licet eisdem nominibus nominentur, quibus partes integrales, sicut etiam intellectivum, et sensitivum, ut continentur in anima rationali sunt partes potentiales ejus, secundum vero quod continentur sub gradu viventis sunt species illius. Et sic de istis partibus in communi agit quæstione cxxviii.

Exinde, agit de singulis partibus potentialibus fortitudinis, quæ sunt quatuor assignatæ, scilicet magnanimitas, et magnificentia, quæ correspondent aggressioni circa aliam materiam, quam circa pericula mortis, patientia autem, et perseverantia, quæ correspondent actui sustinendi prout etiam est in alia materia, quam circa pericula mortis. Igitur primo, agit de magnanimitate, quæ respicit magnum honorem, seu opera illa, ex quibus magnus honor sequi potest. Unde magnanimitas ut sit virtus debet respicere non directe ipsum honorem, sed id ad quod consequitur honor, quia honor verus solum sequitur ad virtutem, ut quoddam testimonium ejus. Unde non debet appeti propter se, quatenus publica testificatio est, sed propter virtutem, ad quam sequitur. Et sic moderatur magnanimitas aggressionem, seu spem magni honoris, ne homo, aut nimis feratur in honorem, aut intendendo ipsum supra debitam proportionem, et similiter firmat animum, ut tendat in ea, quæ sunt digna honore secundum proportionem debitam, ideoque maxime compatitur cum humilitate, quæ reprimat animum ab honore indebito, ex consideratione proprii defectus. Et licet quælibet virtus intra suam materiam possit facere, non solum

id quod parvum est, sed etiam id quod magnum, tamen ad magnanimum pertinet in ipsismet virtutibus intendere magnitudinem operis, non solum ut conditio ejus est, sed ut importat specialem rationem formalem ardui per aggressionem vincendam. Et sic de magnanimitate agit quæstione cxxxix.

De vitiis autem oppositis magnanimitati agit quatuor quæstionibus sequentibus. Nam magnanimitati per excessum opponuntur tria vitia, scilicet præsumptio, ambitio, inanis gloria, per defectum autem pusillanimitas. Quæ sic distinguuntur; nam magnanimitas respicit opera magna cum moderatione proportionis debitæ, et ad magnum opus sequitur honor, et effectus honoris est gloria. Unde ratione magni operis opponitur magnanimitati præsumptio, quæ tendit in magna sine proportionem. Respectu vero honoris consecuti opponitur ambitio, quæ inordinate appetit honorem indebitum propter honorari. Respectu vero gloriæ, quæ est effectus honoris, et dicitur clara notitia cum laude, opponitur inanis gloria, quæ nimis appetit claritatem non fundatam in honore debito, aut ultra quam meretur. Et hæc quia nimis appetitur tamquam finis, constituit vitium capitale. Et sic de præsumptione agit quæstione cxxx, de ambitione cxxxii, de inani gloria cxxxiii, de vitio autem opposito per defectum, scilicet pusillanimitate, per quam aliquis recusat intendere etiam id quod est sibi debitum, et proportionatum, agit quæstione cxxxiiii.

Secunda virtus potentialis fortitudinis est magnificentia, quæ respicit magna opera exteriora, quæ proprie dicuntur factibilia, sicut magnanimitas respicit magna agibilia quæ pertinent ad virtutem, seu amplitudinem animi. Omnis autem

arduitas in faciendo opera exteriora magna provenit ex sumptibus, qui nomine pecuniæ designantur, et sicut ad faciendas donationes pecuniæ ordinatur liberalitas, quæ quia per modum donationis emittit pecuniam, et donatio maxime pertinet ad amorem, ideo præcipue pertinet ad liberalitatem moderari amorem pecuniæ, et elicere amorem dandi, sic etiam ad magnificentiam pertinet dirigere magnos sumptus in exterioribus operibus, non in ratione donationis, sed in ratione magni, et ardui, quod indiget aggressionem, et fortitudine non circa pericula mortis, quæ est specialis materia fortitudinis, sed circa expensas, et sumptus externos. Et ideo ejus actus non est in concupiscibili circa amorem pecuniæ donandæ, sed in irascibili sub ratione expendendi, et faciendi magnos sumptus, licet præsuppositivè etiam amorem pecuniæ supponat esse moderatum, ne alias impediatur ex illo circa sumptus magnos faciendos. Et de hac virtute agit quæstione cxxxv.

De vitiis vero oppositis magnificentiam agit quæstione cxxxvi. Sunt autem duo, alterum per defectum, scilicet parvificientia, quæ solum intendit parvitatem sumptuum, et non audet in aliquid magnum. Alterum per excessum, quod Græce dicitur banausia. Latine consumptio, quæ sine limite, et ratione consumit pecunias.

Post magnanimitatem, et magnificentiam, quæ sunt virtutes potentiales fortitudinis ex parte actus aggressionis, agit de aliis duabus quæ correspondent actui sustinendi, scilicet patientia, perseverantia; et patientia quidem sustinet mala, quatenus difficultatem faciunt ex parte ipsius acerbitatis, seu magnitudinem mali secundum se, citra tamen pericula mortis, quia hæc sunt principalis materia fortitudinis, pa-

tientia autem ut potentialis virtus ejus circa alia mala communia debet versari. Et ideo pertinet ad patientiam moderari tristitias insurgentes firmando animum ne illis succumbat, quod non faciunt aliæ virtutes, quæ etiam circa tristitiam versantur in suis peculiaribus materiis, sicut pœnitentia, et misericordia elicendo illas moderatas. Patientia autem contra illas etiam insurgentes firmat animum ne succumbat, sicut continentia detinet animum ne succumbat concupiscentiæ insurgenti, et in hoc distinguitur a temperantia, quæ illam in se moderatur. Et ita patientia pertinet ad concupiscibilem ratione tristitiæ contra quam firmat animum; probabile tamen est non residere in ipso appetitu sensitivo, sed in voluntate, quam firmat ad resistendum tristitiis sicut continentia in ipsa residet ad resistendum concupiscentiis, et sic de patientia agit quæstione cxxxvii.

Ultima virtus potentialis fortitudinis ex parte actus sustinendi est perseverantia, quæ respicit sustentiam mali secundum quod habet specialem difficultatem ex ipsa diurnitate operis. Licet enim diurnitas videatur circumstantia operis, tamen secundum quod specialem difficultatem facit in malis sustinendis, inducit etiam specialem rationem motivi, petitque specialem virtutem, ita quod sicut patientia moderatur tristitias ex acerbitate mali præsentis insurgentes, ita perseverantia moderatur timores defatigationis, aut defectus propter diurnitatem mali impendentes. Et ita est in irascibili, et pars potentialis fortitudinis eo quod firmat animam non contra pericula mortis, sed contra difficultatem ex diurnitate mali provenientem. Quod si perseverantia sit usque ad finem, est consummata, tam ex parte electionis, quam

executionis. Si vero habet quis propositum, et electionem perseverandi, jam habet actum virtutis perseverantiæ; licet executio impediatur, quia hæc non est ex nostra electione, sed ex mero auxilio gratiæ divinæ. Et de hac virtute agit quæstione cxxxviii.

Vitia autem opposita perseverantiæ sunt duo, scilicet per defectum mollities, et per excessum pertinacia. Dicitur enim mollis qui de facili cedit tangenti, ex hoc autem quod aliquis vincatur a magnis passionibus non dicitur mollis, quia etiam fortissima quæque cedunt magnis contrariis, sed dicitur mollis, quia cedit modicis passionibus, aut terroribus, præcipue quando ex sola carentia voluptatis aliquis cedit, quia carentia delectationis sola est debile movens, et ita qui non sustinet laboriosa, quia diu non potest carere delectatione, dicitur mollis. Pertinax autem dicitur, qui indubite firmatur in propria sententia, et propter hoc non recusat mala diuturna sustinere. Unde opponitur per excessum perseverantiæ, licet in hoc quod est causa pertinaciæ, scilicet nimis delectari de propria victoria in proposito suo, et adhæsiōne propriæ sententiæ assimiletur molli, qui nimis appetit delectationes, nec sustinet earum carentiam. Et de his vitiis agit quæstione cxxxix.

Post explicatas partes fortitudinis, agit de dono illi correspondente, quod etiam dicitur donum fortitudinis, per quod movetur quis a Spiritu Sancto ad sustinenda, vel aggredienda quæcumque ardua quantumcumque superent humanam facultatem ex solo divino auxilio. Et de hoc dono, ac beatitudine illi correspondente: *Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam*, quod est valde arduum, agit quæstione cxxxix.

Ultimo, de præceptis fortitudinis,

et partium ejus, quibus jubemur esse fortes, et viriliter agere agit quæstione CXL.

TEMPERANTIA.

De hac virtute tria agit D. Thomas tamquam principalia capita. Primo enim agit de ipsa virtute temperantiæ, et vitiis oppositis. Secundo, de ejus partibus quæ multæ, et variæ sunt. Tertio, de præceptis quæ dantur de ipsa. De dono autem Spiritus Sancti correspondente temperantiæ, sed per bonum timoris secundo refrænantur delectationes carnis juxta illud Psal. cxviii: *Confige timore tuo carnes meas*. Sed timor primario, et per se exhibet Deo reverentiam, ejus potentiam formidando, et exinde resultat configentia carnis, quæ cum tanta formidine non audet erumpere contra Deum.

Igitur circa primum explicat D. Thomas primo, ipsam naturam temperantiæ, supponendo, quod passiones in nobis sunt duplicis generis, quædam quæ consequuntur bona appetitus. Et in fugiendo mala non est periculum nisi ex aliquo adjuncto, quatenus, scilicet nimis fugiendo, prætermittit aliquis aliquod bonum rationis, ut evitet malum. Unde virtus, quæ tales passiones reducit ad medium principaliter operatur firmando animum in bono ne prætermittat illud propter fugiendum malum. Passiones vero, quibus tendimus in bona sensibilia ex ipsa vehementia, ex excessu prosequendi retrahunt a bono rationis, ita quod recessus a bono rationis, provenit ex multo excessu prosecutionis circa sensibilia, experimur enim quod magnitudo concupiscendi facit emollescere cor, et evigorat illud. Unde oportet, quod virtus quæ reducit ad medium tales

passiones, id faciat refrænando, et amputando excrescentiam, et immoderantiam illarum, et hoc facit temperantia, quæ proprie refrænans, et modum ponit passionibus prosequentibus bona sensibilia, quales sunt delectationes. Quia vero virtuti principali, seu cardinali correspondet difficilior, et principalior materia suæ spheræ, oportet etiam id assignare temperantiæ, quæ est virtus cardinalis. Inter omnia autem bona sensibilia illæ delectationes sunt vehementiores, quæ sunt magis naturales, natura enim maxime inclinatur, et propendet in conservationem sui tam quoad speciem, quam quoad individuum, et magis in conservationem speciei, quia est bonum univ ersalius, a quo etiam pendet individuum. Et circa conservationem speciei versantur venerea, circa conversionem individui, alimenta; et delectationes istæ pertinent ad tactum, quia licet alimenta etiam per gustum sentiantur, quantum ad saporem, sicut etiam per olfactum quantum ad odorem, et per visum quantum ad pulchritudinem, tamen in quantum nutritiva solum pertinent ad tactum; nutrimur enim calido, et frigido, sicco, et humido, et sic dicit philosophus quod sensus tactus est sensus alimenti. Et sic temperantia, quæ est virtus cardinalis habet pro materia delectationes tactus, quæ sunt difficillimæ ad refrænandum. Et hoc explicant quæstione CXXI.

De vitiis autem oppositis temperantiæ agit quæstione CXXII. Sunt autem duo, scilicet per defectum, immoderantia quæ inordinate appetit delectationes tactus, et in eis immergitur, alterum per excessum, et dicitur insensibilitas, quando etiam aliquis refugit ordinatum usum sensibilibus.

Circa secundum, scilicet circa partes temperantiæ agit primo de

illis in communi. Secundo, in speciali. In communi agit quæstione CXXIII, distinguendo illud triplex genus partium integralium, subjectivarum, et potentialium. Partes integrales sunt verecundia, et honestas, per quas temperantia opponitur turpitudini: verecundia fugiendo turpitudinem, honestas amando ejus oppositum, maxime enim turpes sunt motus, quos temperantia moderatur, quia maxime bestiales. Partes subjectivæ sunt duæ scilicet castitas, et abstinentia, castitas ad moderanda venerea, et abstinentia ad moderandas delectationes circa alimentum. Et castitati deservit pudicitia, quæ moderatur exteriora signa, et motus ordinatos ad venerea, castitas vero ipsam delectationem veneris. Abstinentia etiam dividitur in sobrietatem, quæ moderatur immoderantiam potus, et in abstinentiam circa cibos. Partes potentiales sunt illæ virtutes, quæ in alia materia, quam in delectationibus tactus moderantur excessum passionum, vel inclinationis. Et quædam moderantur excessum passionum, vel inclinationis. Et quædam moderantur in voluntate, ut continentia, quæ refrænans voluntatem ne cedat passionibus insurgentibus, alia moderantur in irascibili, ut ira per mansuetudinem, et clementiam. Humilitas enim moderatur nimiam audaciam, seu spem erga excellentiam propriam in voluntate. Aliæ moderantur ea, quæ pertinent ad exteriorem compositionem, ut modestia, et alia quædam quæ ad modestiam reducuntur.

Explicatis partibus in communi, agit de illis in particulari. Et primo de partibus integralibus, scilicet de verecundia, et honestate, per quæ homo maxime refugit turpitudinem. Et primo agit de verecundia, quatenus aliquis timet confundi, et exprobrari de turpi. Unde differt a pœni-

tentia, quia hæc dolet de peccato secundum se, ut est offensivum Dei, verecundia autem fugit turpitudinem peccati prout timet infamiam, et confusionem illius, et ideo non convenit homini perfecto, neque est virtus, sed passio quædam laudabilis, quatenus non prosequitur directe bonum, sed fugit malum propter exprobrationem illius, et ita verecundia non se habet ad temperantiam per modum partis componentis, sed disponens ad illam; et ita agit de verecundia quæstione CXXIV. De honestate autem, per quam aliquis amat pulchritudinem virtutis non solum in communi, sic enim omnis virtus honesta est, seu honore digna, sed specialiter prout excludit turpitudinem, quæ ex concupiscentia rei turpis oritur juxta illud Apostoli, I, ad Corinth. XII. *Quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorum circumdamus, et quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorum honestatem habent*. Et sic agit de honestate, quæstione CXXV.

De partibus autem subjectivis agit incipiendo ab abstinentia. Circa quam tractat quatuor. Primo, de specie abstinentiæ circa cibos, et de præcipuo ejus actu, qui est jejuni-um. Secundo, de ejus vitio opposito, quod est gula. Tertio, de altera specie, quæ est sobrietas. Quarto, de ejus vitio opposito, quod est ebrietas. Circa primum, ostendit abstinentiam circa cibos esse specialem virtutem ex speciali materia, quam habet moderari, quæ etiam habet specialem difficultatem, eo quod usus alimenti cum sit tam necessarius naturæ, delectatio illius est vehementior, et ita valde difficilis refrænationis, delectatio autem circa vestimenta, et alia similia, quibus fovetur natura, modica est, quia natura etiam in pretiosis vestibus fovetur, prout autem spectat ad pom-

pam, et fastum, moderatur a modestia. Et sic de abstinentia agit quæstione CXLVI. De principali autem actu ejus scilicet jejunio, quo affligimus corpus per subtractionem ciborum ad moderandas concupiscentias, et vacandum exercitio virtutum, et de ejus obligatione, et modo observandi secundum legem positivam, agit quæstione CXLVII.

Circa secundum, scilicet vitium oppositum abstinentiæ, quod est gula, agit quæstione CXLVIII, ostendens quomodo sit vitium capitale, quia est de maxime delectabili, et consequenter, quæ habet rationem finis propter quem alia multa appetuntur, vel non recusantur. Non est autem ex suo genere peccatum mortale, quia directe non contrariatur dilectioni Dei et proximi, sed ex aliquo adjuncto potest reddi peccatum mortale, scilicet vel ex damno secuto in salute corporis, vel ex contemptu Dei, quatenus ita aliquis excrescit in affectu gulæ, quod ad satisfaciendum illi, transgreditur præcepta Dei. Et sic agit de gula quæstione CXLVIII.

Circa tertium, agit Divus Thomas de alia specie abstinentiæ, quæ est sobrietas, quæ moderatur delectationem potus inebriantis, eo quod talis delectatio per se primo habet tollere usum rationis ex fumositatem potus, qui est materia talis actus, et ideo importat distinctum impedimentum contra rationem præter ipsam delectationem cibi, et potus absolute, ideoque fundat distinctam moralitatem, et sic exigit distinctam virtutem, quæ primo et per se moderetur delectationem potus, ut tollentis usum rationis, et hæc est sobrietas de qua agit quæstione CXLIX.

Circa quartum, scilicet de vitio opposito sobrietati, quod est ebrietas, agit quæstione CL. Est autem ebrietas peccatum mortale ex suo genere,

eo quod per illam privat se aliquis usu rationis non modo naturali, sicut per somnum in quo suspenduntur omnes actiones, nec exponit se aliquis periculo operandi mala, sed modo præternaturali auferendo usum rationis, et non suspendendo omnes actiones exteriores, sed modo bestiali faciendo illas, quod est ab intrinseco committere se periculo gravi peccandi et nocendi, licet ex ignorantia fortitudinis potus, vel ex necessitate alicujus medicinæ possit aliquando excusari.

Secunda species temperantiæ post abstinentiam est castitas, quæ moderatur delectationes venereas, et quidem communi modo moderatur illas castitas, per excellentiam autem virginitas, circumstantias autem et signa exteriora pudicitia. Sic ergo agit primo de castitate et pudicitia, quæ ab illa non distinguitur. Secundo de virginitate. Tertio de vitio opposito castitati ejusque speciebus.

Circa primum, castitas est specialis virtus distincta ab abstinentia, quia moderatur specialem materiam ubi est distincta moralitas; alio enim modo moderatur ratio delectationes alimenti, alio modo delectationes veneris, et alio modo est unum licitum quam aliud. Pudicitia autem non distinguitur a castitate, quia moderatur signa, et circumstantias exteriores veneris, de quibus magis pudoratur, sed omnia pertinent ad eandem libidinem et circa eundem finem ordinantur et sic eadem mensura mensurantur a ratione. Et de ista virtute, agit quæstione CLI.

Circa secundum, agit de virginitate, quæ est excellentissima castitas, sicut magnificentia est excellentissima liberalitas. Est autem distinguenda triplex virginitas. Una naturalis, alia moralis, et hæc est duplex, quædam moralisi morali-

tate status, alia moralis moralitate virtutis specialis distinctæ a castitate. Naturalis virginitas consistit in ipsa integritate membrorum impolluta, præbetque materiam servandam a virtute virginitatis, dicitur enim virgo quasi virens, et illud dicitur virens, quod non est adustum a superabundantia caloris. Unde hæc naturalis virginitas importat virorem carnis, id est, non esse adustum a calore concupiscentiæ, quæ est in consummatione maximæ delectationis. Status autem virginitatis ex parte quidem materiæ supponit carnem non esse voluntarie corruptam seu adustam, et addit ex parte formalis rationis propositum sic perseverandi sine experientia veneris, sicut castitas vidialis in carne experta venerem importat propositum servandi omnimodam castitatem. Sed hoc licet ex parte materiæ, quæ est inexperientia totius veneris importet majorem excellentiam, tamen ex parte rationis formalis, seu propositi non addit distinctam virtutem præter castitatem communem, quia non est illud propositum omnino firmum, si quidem non peccat virgo si nupserit ut inquit Apostolus, et sic licet frangat hoc propositum non facit contra virtutem. Ut ergo ex parte propositi virginitas constituat specialem virtutem supra castitatem communem, oportet, quod hoc propositum reddatur specialiter virtuosum circa omnem experientiam veneris, ita quod reddat illam illicitam, etiam quoad matrimonium, et hoc non potest esse nisi per votum, per quod solum reddit homo sibi illicitam experientiam veneris etiam in matrimonio, castitas autem communis non reddit illam illicitam. Quare virginitas ut sacrata Deo per votum, non solum addit circumstantiam religionis, sed etiam intra materiam propriam castitatis, nascitur nova, et specialis virtus ser-

vandi omnem inexperientiam veneris, non enim est inconveniens in speciebus castitatis, et luxuriæ oriri distinctam speciem ex suppositione alterius virtutis tamquam conditione requisita, sicut adulterium ex suppositione injustitiæ peccatum speciale luxuriæ est. Et hæc virtus virginitatis est reparabilis, ejus vero materia, scilicet inexperientia veneris irreparabilis est habita semel experientia. Et sic agit de illa quæstione CLII.

Circa tertium, tractat de vitio opposito castitati, quod est luxuria, et de ejus speciebus in sequenti quæstione. De luxuria ostendit quomodo sit peccatum mortale ex suo genere et capitale. Est quidem mortale, quia peccatum hoc consistit in abusu inordinato resolutionis seminalis, quæ ab ipsa natura, et auctore ejus ordinata est ad generationem proles, unde si semen resolvatur, aut contra modum ipsius naturæ, quæ talem resolutionem determinavit ad generationem, aut contra modum educationis proles inde nascituræ quia ita generationi intenditur, quod ex vi illius non sequitur debita educatio proles, ut in simplici fornicatione, ex vi ejus non obligant se parentes ad convivendum, cum tamen ex utriusque convictu naturaliter, et per se dependeat debita educatio proles, ideo ex isto inordinato abusu luxuriæ fit contra charitatem debitam Deo, et proximo in re gravi, qualis est ordo naturæ in generatione hominis. Est autem peccatum capitale, quia materia ejus est maxime delectabilis, et consequenter maxime appetibilis, unde induit rationem causæ finalis ex quo multa oriuntur peccata. Et de hoc agit quæstione CLIII.

De speciebus autem luxuriæ agit quæstione CLIV. Eas vero desumit Sanctus Thomas vel ex parte personæ generandæ, quæ est finis actus